TEXTS FOR STUDENTS, No. 3

SELECTIONS FROM GIRALDUS CAMBRENSIS

BX
4705
G55224
G5
1918
GTU
Storage
1



BERKELEY, CALIFORNIA

FROM THE LIBRARY OF

HALSEY ARLINGTON RINE

1891-1924

A STUDENT OF THIS SCHOOL

TEXTS FOR STUDENTS. No. 3

SCHOOL SERIES.

GENERAL EDITORS: CAROLINE A. J. SKEEL, D.LIT.; H. J. WHITE, D.D.; J. P. WHITNEY, B.D., D.C.L.

SELECTIONS FROM GIRALDUS CAMBRENSIS

LONDON
SOCIETY FOR PROMOTING CHRISTIAN KNOWLEDGE.
1918

8X
4705
G5 5224
G5
1918

CONTENTS

CHAPTER PA

INTRODUCTION - - - - - vii

SELECTIONS FROM "DE REBUS A SE GESTIS."

BOOK I.

I. OF THE PARENTAGE OF GIRALDUS AND THE DOINGS OF HIS BOYHOOD AND YOUTH - - - 13

II. OF HIS EARLY DEFICIENCY AND LATER ADVANCE IN LEARNING - - - - - 14

VI. HOW HE WITHSTOOD THE BISHOP OF ST. ASAPH AT KERRY AND MANFULLY RETAINED ALL THE CHURCHES OF THOSE PARTS - - - 15

BOOK II.

I. OF HIS DOINGS IN THE PRIME OF HIS MANHOOD - 21

IV. OF THE RETURN OF GIRALDUS AFTER HIS PROLONGED STUDIES, AND OF THE THINGS THAT CHANCED IN THE MEANTIME ON HIS JOURNEY - 23

V. HOW, COMING TO CANTERBURY, HE CALLED WORTHY OF CORRECTION THE THINGS THAT HE SAW IN THE CONVENT OF THE PRINCIPAL CHURCH - 24

XVI. OF THE COMPOSING OF THE "TOPOGRAPHIA HIBERNICA" AND THE READING OF IT AT OXFORD IN ENGLAND - - - - - - 27

CHAPTER PAGE

XVII. OF THE GENERAL TAKING OF THE CROSS IN ENGLAND, AND HOW BOTH PETER, BISHOP OF ST. DAVID'S, AND GIRALDUS, THE ARCHDEACON, WERE SIGNED WITH THE CROSS - - 28

XVIII. HOW BALDWIN, ARCHBISHOP OF CANTERBURY, PREACHED THE CRUSADE THROUGHOUT WALES, AND HOW GIRALDUS, THE ARCHDEACON, WAS JOINED WITH HIM AS HIS FAITHFUL COMPANION FOR THE WORK OF PREACHING - 29

XIX. HOW THE ARCHBISHOP IMPOSED ON THE ARCHDEACON THE DUTY OF PREACHING AT ST. DAVID'S, AND OF THE THINGS THAT WERE DONE IN KEMES AND CARDIGAN, GWYNEDD AND POWYS - - - - - 32

XX. OF THE ARCHBISHOP'S COMMENDATION BOTH OF GIRALDUS AND OF HIS COMPOSITION - - 34

XXI. HOW HE WAS SENT INTO ENGLAND AND WALES BY COUNT RICHARD AFTER HIS FATHER'S DEATH - - - - - - 35

BOOK III.

XVII. OF THE FIRST JOURNEY OF GIRALDUS TO THE COURT OF ROME, AND OF HIS MISFORTUNE AT THE OUTSET - - - - - 40

XVIII. HOW, COMING TO THE POPE, HE GAVE HIM GIFTS OF BOOKS, NOT OF MONEY - - 42

SELECTIONS FROM "GEMMA ECCLESIASTICA."

PART I.

PREFACE - - - - - - 44

XXII. OF EUSEBIUS OF VERCELLÆ - - - 46

XLIII. THAT PEOPLE OUGHT NOT TO INDULGE IN DANCES AND SONGS IN CHURCHES AND CEMETERIES - - - - - 47

PART II.

CHAPTER		PAGE
XXXIV.	OF THE SHEARING OF THE SHEEP, AND THE EXCESSES AND WRONGDOINGS OF BISHOPS	48
XXXV.	EXAMPLES OF GROSS ERRORS WHICH SPRING FROM THE IGNORANCE OR ILLITERACY OF PRIESTS	51
XXXVI.	THAT YOU WILL FIND SUCH DEFECTS IN THE HIGHER CLERGY LIKEWISE	54
XXXVII.	HOW IGNORANCE OF LETTERS IS DUE TO THE EXCESSIVE STUDY OF SECULAR LAW AND OF LOGIC	56
XXXVIII.	OF THE EMINENCE OF ECCLESIASTICAL RULERS AND THEIR PERILOUS POSITION	59

INTRODUCTION

GIRALDUS CAMBRENSIS (Gerald the Welshman) was born at Manorbier Castle in Pembrokeshire, probably in 1147. By descent he was partly Norman, partly Welsh; his father, William de Barri, belonged to one of the Norman families that had settled in South Wales in the days of Henry I.; his mother, Angharad, was a daughter of Gerald de Windsor and Nesta, who was daughter of Rhys ap Tewdwr, the last of the Welsh kings. Many of Giraldus' kinsmen took part in the conquest of Ireland under Strongbow, but he at an early age showed a taste for learning, and was called by his father "the little bishop." His early education was undertaken by his maternal uncle, David Fitzgerald, Bishop of St. David's; later he studied at the abbey of St. Peter, Gloucester, and then went to Paris for three years, devoting himself specially to rhetoric and theology, and gaining the reputation, as he is careful to tell us, of being a model scholar. About the year 1172 he returned to Wales, was ordained and held various livings; his restless activity was soon shown in his attempts to enforce the payment of tithes and to discourage clerical marriage. In 1175 he became Archdeacon of Brecknock, and in 1176 his uncle, the Bishop of St. David's, died. Giraldus hoped to succeed him, and was actually one of the nominees of the Cathedral Chapter, but Henry II., indignant that his consent to the nomination had not been previously obtained, quashed it and made the canons

elect Peter de Leia, Prior of Wenlock, the builder of St. David's Cathedral.

Disappointed in his hopes of promotion, Giraldus betook himself to Paris, where from 1177 to 1180 he studied canon law and theology. On his return he was made administrator of the diocese of St. David's during the absence of the bishop. Henry II. used him in keeping the peace in Wales and made him one of the royal chaplains. In 1185 he accompanied John on his expedition to Ireland, staying there some time to collect material for his works the *Topography of Ireland* and the *History of the Conquest of Ireland;* the former of these he read publicly at Oxford. In 1188 he accompanied Archbishop Baldwin in his tour through Wales to preach the Third Crusade; a full account of the journey is given in his *Itinerary*.

After the death of Henry II., Giraldus was employed to allay the troubles stirred up in Wales by his kinsman Rhys ap Gruffyd; the bishoprics of Bangor and Llandaff were offered to him, but he refused them both, for his heart was set on being Bishop of St. David's, and making the see independent of the See of Canterbury. On the death of Peter de Leia in 1198 the Chapter of St. David's nominated Giraldus as bishop, but the Archbishop of Canterbury, Hubert Walter, refused to receive the nomination; King John at first accepted it, but would not ratify it publicly. Finally Giraldus was elected, and it was decided that he should go to Rome and receive consecration from the Pope. During his absence in Ireland for the purpose of consulting his kinsfolk, the Chapter of St. David's was ordered to elect the Prior of Llanthony, Geoffrey de Henelawe. Late in 1199 Giraldus journeyed to Rome, was courteously received by Pope Innocent III., to whom he presented some of his own writings, but got no definite promise of support: all that the Pope did was to appoint a commission in England to try the validity of the election and examine the claims of

St. David's to independence of the See of Canterbury. On returning to St. David's Giraldus found that a strong party in the chapter had elected the Abbot of St. Dogmael's; once more the tireless fighter travelled to Rome with new evidence for his case that he had discovered at St. David's. After much wrangling the case was adjourned; he came back to Wales and finding himself deserted by the clergy, turned for support to his lay relations. The contest had now become open rebellion; he was outlawed and the papal commissioner gave judgment against him. All he could do was to appeal to the Pope and excommunicate his enemies.

In 1203 Giraldus, after a perilous journey, came for the third time to Rome; the Pope annulled both elections, directing the chapter to begin proceedings afresh. He was touched by Giraldus' persistent, though fruitless, efforts, and said at his departure: "Doubtless, my brother, God has for His own good purposes rescued thee from this stormy life and has reserved thee for some nobler work." In the end the chapter chose Prior Geoffrey of Llanthony, and Giraldus withdrew his opposition. He had no support to hope for from the Roman court, and the St. David's clergy, for whom he had suffered so much, had been the first to desert him. Soon afterwards he was reconciled with the king and the archbishop, resigned his archdeaconry and made a fourth journey to Rome. Bishop Geoffrey died in 1214, but Giraldus was again passed over; he died about the year 1223 and was buried in St. David's.

Giraldus was a born fighter, bent on achieving the ecclesiastical independence of Wales, under the Bishop of St. David's; he would gladly have been the Becket of Wales, but found few, in the end none, to stand by him. He was courageous, zealous for reform, unwearied in his industry and in his love for learning. He was not always very scrupulous; for instance, when he was at Rome, some

letters from the Archbishop of Canterbury to the Pope were stolen by a clerk and offered to him for sale. He insisted on seeing one first, broke its seal, and finding it full of invectives against him, returned all the letters. His vanity is obvious; he never misses an opportunity of putting himself, his learning, and his energy in a favourable light. He is at times inaccurate to a degree: Irish scholars, as Miss Norgate remarks, "have almost from that day to this justly declaimed against him for his atrocious libels upon their country and its people." But he had the knack of writing down in vivid and often amusing fashion much that posterity has cared to know; he did not think it beneath the dignity of an author to describe the life that he saw around him.

The best known of Giraldus' works are the *Itinerarium Kambriæ* and the *Descriptio Kambriæ* (translated in Dent's Everyman Library), the *Topographia Hibernica* and the *Expugnatio Hibernica* (translated in Bohn's Antiquarian Library). In these works he displays some of the qualities of the modern journalist; he touches on a wide range of subjects with surprising ease and freedom. He is at his best in the two works on Wales, and there is good reason for the inclusion of his statue among the statues of Welsh worthies in the City Hall, Cardiff. His other works are: *De rebus a se gestis; Gemma Ecclesiastica; De Invectionibus; De jure et statu Menevensis Ecclesiæ; Symbolum Electorum; Speculum Ecclesiæ; De principis instructione;* various letters and biographies.

The selections included in this volume are taken from Giraldus' autobiography (*De rebus a se gestis*) and from the *Gemma Ecclesiastica.* The autobiography gives an account of Giraldus' life to about the year 1200, and was probably written in 1204-5; it is incomplete, the third book containing only 19 chapters out of the original 236. The only extant MS. is in the Cottonian Collection in the British

Museum (Tiberius, B. XIII.). The *Gemma Ecclesiastica* was Giraldus' favourite work, and he tells us with much complacency that Pope Innocent III. would never allow it to be out of his sight. It is valuable for the insight it affords into the local customs of Wales and the state of learning and morals among the clergy and laity. The picture drawn is black enough, but it must be remembered that Giraldus loved a good story, and too much must not be made of his instances of ignorance and misconduct. The only extant MS. of the *Gemma Ecclesiastica* is in the Lambeth Library.

The text of the selections is reprinted, by the kind permission of the Master of the Rolls, from vols. I. and II. of the Rolls Series edition. The glossary contains only such words as are not included in an ordinary Latin dictionary.

CAROLINE A. J. SKEEL

SELECTIONS FROM "DE REBUS A SE GESTIS"

BOOK I.

CHAPTER I.

Of the Parentage of Giraldus and the Doings of his Boyhood and Youth.

GIRALDUS itaque de Kambria oriundus et australi ejusdem parte, maritimisque Demetiæ finibus, non procul ab oppido principali de Penbroc, castello sc. de Mainarpir, ingenuis natalibus prosapiam duxit. Ex matre namque Angarath, filia Nestæ, nobilis filiæ Resi principis Sudwalliæ, sc. filii Theodori, viro egregio Willelmo de Barri matrimonialiter copulata, processit. Qui cum ex fratribus quatuor germanis pariter et uterinis natu minor existeret, tribus aliis nunc castra nunc oppida nunc palatia puerilibus, ut solet hæc ætas, præludiis in sabulo vel pulvere protrahentibus construentibus, modulo suo, solus hic simili præludio semper ecclesias eligere et monasteria construere tota intentione satagebat. Quod dum pater ejus sæpius intuendo cum admiratione considerasset, ductus ad hoc quasi prognostico quodam, ipsum literis et liberalibus disciplinis applicandum præsaga mente decrevit; eumque ludendo et applaudendo suum episcopum vocare consuevit.

Accidit autem, ut nocte quadam hostili invasione terra turbata, et juventute castri tota certatim ad arma prosiliente, puer hoc intuens et tumultum audiens cum fletu

proclamaret, quærens quonam declinare deberet, et petens quatenus ad ecclesiam portaretur; miro presagio pacem ecclesiasticam et immunitatem domus Deo dicatæ firmissimam atque securam esse debere declarando. Cuncti vero qui hoc audierant, cessante tumultu, verbum illud puerile secum cogitando, et inter se conferendo, cum admiratione recolebant, quod majorem sc. sibi securitatem in ecclesia remota ventis et fortuitis eventibus exposita, quam in oppido viris et armis referto, turribus et muris munitissimo, promittebat. Id etiam quotiens super dignitate ecclesiastica et libertate, quotiens de jure fori et poli inter clerum et populum altercationes audiebat, ecclesiæ se pro posse protectorem et advocatum etiam puer opponebat; zelo eodem Deo inspirante et gratiam de die in diem augmentante, per omnem ætatem et usque in finem ei perdurante. Nihil enim adeo in terris sicut ecclesiæ Christi gloriam amplam, profectum in omnibus et honorem, quolibet ævo statuque suo cupiebat.

Chapter II.

Of his Early Deficiency and Later Advance in Learning.

Puer autem in primis fratrum consortio festivis diebus colludentium et militaria suæ professionis negotia summopere collaudantium, quoniam a convictu mores formantur, non mediocriter impeditus, longe segnius in proposita disciplina profecit. Cæterum tandem a Menevensi episcopo piæ memoriæ Davide tunc præsidente, qui et avunculus ejus extiterat, correptus quidem et statim correctus, clericorumque duorum ejusdem episcopi, quorum unus in suggillationem ipsius declinabat *durus*, *durior*, *durissimus*, et alter, *stultus*, *stultior*, *stultissimus*, insultatione

plurimum adjutus, plus verecundia deinde quam virga, plusque pudore quam præceptore sive timore quovis, proficere cœpit. Tanta namque studium vehementia postmodum est amplexatus, ut coætaneos omnes et conscolares terræ suæ infra modicum tempus longe transcenderet. Processu vero temporis causa studii majoris atque profectus ter in Franciam transfretando, tresque status annorum plurium Parisius in liberalibus disciplinis faciendo, summosque præceptores demum æquiparando, trivium ibidem egregie docuit, et præcipuam in arte rhetorica laudem obtinuit. Adeoque studiis ex toto addictus fuerat, nil levitatis aut scurrilitatis actibus aut animo gerens, ut quotiens de bonis scolaribus doctores artium exemplificare vellent, Giraldum præ cæteris omnibus nominarent. Sicque scolastici officii præcellentis et præelecti in prima ætate, meritis id exigentibus bonis, et annis adolescentiæ, non petere exemplum sed dare dignus erat.

Chapter VI.

How he withstood the Bishop of St. Asaph at Kerry and manfully retained all the Churches of those Parts.

Peractis igitur his quæ ibi agenda videbantur, versus Brecheniauc lora regirans ad domicilium suum de Landeov reversus est. Ubi cum paucis diebus, quia tantum tribus aut quatuor moram fecisset; venerunt clerici duo missi a decano et capitulo partium prædictarum cum festinatione, nuntiantes ei Lanelvensem episcopum Adam ad ecclesiam de Kerri, quæ finalis erat inter episcopatus, sed tamen de eorum capitulo et diocesi Menevensi ab antiquo fuerat, proxima dominica proculdubio venturum, ipsamque eodem

die, ut eam sic cum tota provincia occupare possit, dedicaturum; asserentes quoque nullatenus ipsum ab hoc impediri posse, nisi occurrens ei in propria persona archidiaconus adventaret. Asseverabant etiam, quod si provinciam illam sic occupare permissus fuerit, totam quoque terram usque Vagam, sc. Meilenith et Elevein tanquam ad ecclesiam suam de S. Asaph pertinentem firmiter occupare proposuit. Quo audito quanquam fessus adhuc labore priori, cunctisque suis constanter dissuadentibus, et his præcipue qui secum antea fuerant, plus præ timore tamen quam labore, cum ipso tunc ire recusantibus, in crastino sc. feria sexta cum his quos secum ducere poterat, iter iterum incunctanter arripuit, et Vagæ fluvium transvadando, silvestriaque de Elevein transpenetrando in confinio de Melenith pernoctavit. Surgens autem sabbato mane, post matutinarum et missarum solemnia nuncios qui clericos undique convocarent eumque sequi facerent, varias ad partes destinavit; alios etiam ad principes et fratres sc. Æneam Clut et Cadwallanum misit, rogans quatinus de familiis suis viros probos cum equis et armis, qui ei si opus esset assisterent et jura Sancti David cum ipso defenderent, post ipsum mitterent; quoniam in manu forti cum Powisensibus et de Keddewein episcopus ille venturus esse dicebatur. Et sic Melenith transcurrendo apud ecclesiam de Lanbiste non procul a Keri nocte illa moram fecit.

Et cum mane Dominica sc. ad ecclesiam S. Michaelis de Keri veniret archidiaconus, clerici duo participes ecclesiæ, qui obviam episcopo perrexerant, cujus etiam adventui consenserunt, ecclesiæ claves absconderant. Sed quæsitis illis diligenter et tandem inventis, archidiaconus intravit; et statim pulsatis campanis tanquam in investituræ signum et possessionis, missam solemniter inchoari et celebrari fecit. Interim autem veniunt nuncii episcopi cum persona ecclesiæ, præcipientes ecclesiam statim ad dedicandum præparari; ac si satis pro imperio fieri debere nec resisti

posse constaret. Archidiaconus autem hoc audito, post missam completam misit quosdam de clericis suis discretos, simul cum decano provinciæ, obviam episcopo nunciantes ei ex parte ipsius, quod si pacifice veniret et tanquam amicus et vicinus, hospitio libenter cum omni honore susciperetur; sed alio modo non accederet. Quod cum ei dixissent, diligenter inquirens si archidiaconus in propria persona jam advenit, et admirans, cum paulo ante de provincia recessisset; tandem inito cum suis concilio, ne vinci videretur, quia superciliosus erat valde et præsumptuosus, suæ morem gerens arrogantiæ, respondit se non ut hospitem et vicinum, sed tanquam episcopum loci illius, et ad dedicandum ecclesiam illam, et officium episcopale in parochia sua faciendum, continenter accessurum. Decanus autem et clerici missi hoc audientes, sicut edocti fuerant, ne in hunc modum propius accederet neve in aliena parochia dedicationem non vocatus ad hoc nec invitatus facere præsumeret, constanter inhibuerunt, et ad summum pontificem appellaverunt. Sed quoniam ipsum per hoc tardare non poterant, quosdam ex suis in equis fortioribus, sicut præmuniti fuerant, hoc archidiacono nunciantes cum festinatione præmiserunt. Qui cum venissent, relictis in ecclesia de comitatu suo quibusdam, qui eam servarent interius et ostia serarent, statim exivit archidiaconus obviam episcopo venienti ad introitum cœmeterii. Episcopus autem, ut venit, præcepit archidiacono, quatinus cum suis festinanter abiret, ecclesiamque suam et cœmiterium ad faciendum quod disposuit ei relinqueret. Alioquin ipsum, licet invitus, quia Parisius olim socii fuerant et conscolares, excommunicaret. Archidiaconus autem e contra rogavit, episcopum, quatenus causa amicitiæ et societatis antiquæ in pace discederet, et nihil in injuriam suam suæque detrimentum jurisdictionis attemptaret. Quod cum facere penitus recusaret, ne dedicationem vel aliquod officium episcopale ibi faciendo falcem mitteret in

messem alienam, ex parte Dei dominique papæ et archiepiscopi necnon et regis Angliæ, in cujus manu et custodia tunc erat ecclesia Sti. David paulo ante orbata pastore, firmiter inhibuit et appellavit. Episcopus autem his auditis literas archiepiscopi Cantuariensis, a quo non longe ante consecratus fuerat, produxit et legi fecit; quibus episcopatum Lanelum cum cunctis pertinentiis suis ei confirmavit, et omnes qui aliquid ei injuste auferrent excommunicavit. Quibus perlectis subjunxit episcopus ecclesiam de Keri, sicut et omnes ecclesias inter Vagam et Sabrinam, ad ecclesiam suam Laneluensem jure parochiali pertinere; et in ejus rei testimonium librum produxit antiquum, in cujus id fine contineri dicebat; quod et legi fecit; dicens et asserens, quod nisi archidiaconus cito desisteret, incontinenti ipsum et suos excommunicaret. Archidiaconus autem ad hæc respondit, ecclesiam de Keri et alias inter Vagam et Sabrinam, de Elevein sc. et Melenith et Warthrenniaun, nec ad diocesin Laneluensem nec ad archiepiscopi confirmationem illam ullatenus pertinere; puta quas trecentis annis et pluribus intra diocesim Menevensem contentas fuisse dinoscitur. In libro autem suo scribere poterat quod volebat. Sed si cartam inde haberet cum authentico sigillo vel privilegium, ostenderet; et cum hoc non haberet, si ipsum excommunicare vellet, quia pro ecclesiæ suæ stabat defensione, et ipse in eum sententiam simili temeritate præcipitaret. Respondit ille se episcopum esse, nec licere archidiacono episcopum excommunicare. Cui archidiaconus: "Si episcopus," inquit, "es; non es episcopus meus; nec potestatem ullam "habes sententiandi in me, sicut nec ego in te. Ideoque "valeat sententia quantum valere poterit, utrimque temere "et indebite data."

Episcopus autem his auditis se parumper retrahendo, statim equo dilapsus, capiti suo mitram imponi fecit; et sic mitratus baculumque pastoralem nudatum manu

bajulans, ut majoris auctoritatis ejus sententia fore videretur, cum turba suorum pedes accessit. Archidiaconus e contra sacerdotes et clericos plures albis stolis et superpelliciis ac sacerdotalibus cæteris indutos, cum cereis accensis et cruce bajula ac præambula in modum processionis de ecclesia exeuntes in faciem procedere jussit. Noverat enim hominis naturam; quod præceps erat in actibus suis et præsumptuosus. Ideoque dum verbis contendebant, quia garrulus erat ille et verbosus, hæc præparari caute curaverat archidiaconus. Quos cum videret episcopus, quæsivit quidnam hoc esset, et ad quid illi sic venirent. Cui archidiaconus: "Ad hoc," inquit, "ut si in nos et ipsos sententiam dare præsumpseritis, et "ipsi non minus audacter in vos et vestros vice versa "sententiam donent." Episcopus autem, hoc audiens ait: "Propter amicitiam quæ inter nos olim fuerat et scolasti- "cam societatem, parcemus nunc personæ vestræ et his "qui vobiscum sunt; nec nominatim in quemquam "vestrum sententiam dabimus. Generaliter autem sicut "archiepiscopus in literis suis, omnes, qui jura Sancti "Asaph patroni nostri nobis auferre et sibi usurpare "nituntur, sententia excommunicationis involvemus." Ad hæc archidiaconus: "Si talem," inquit, "sententiam "generalem dederitis in montibus illis" (ostendens montes in parochia Laneluensi non procul inde distantes) "a mane "usque ad vesperam, quoniam in nullo nos tangeret, qui "tantum jura nostra tuemur, nihil omnino curaremus. "Sed propter populum astantem qui non intelligeret, sed "potius putaret sententiam vestram, si hic daretur sub hac "quacunque forma, in nos quidem aut præjudicium "nostrum datam esse, nolumus quod hic aliquatenus fiat." Et cum episcopus juraret se prædicto modo ubi statim excommunicare velle; et archidiaconus se sub forma consimili sententiam daturum asseveravit. Cumque episcopus in genere, ne nihil egisse videretur, excommuni-

care hostes et adversarios Sancti Asaph alta voce cœpisset; et archidiaconus altiori voce cum suis in cœmiterio omnes qui jura Sancti David præripere vel perturbare præsumerent excommunicavit; et respiciens campanas, quæ juxta ipsos ab alto pendebant, præcepit quatinus in ignominiam adversariorum et quasi sententiæ suæ confirmationem simul omnes trino intervallo pulsarentur. Quod cum fieret, quoniam Walenses sonum hujusmodi campanarum, cum in ipsos pulsantur, multum abhorrent, confestim episcopus et sui equos scandentes, interrupta sententia, quam citius poterant abscesserunt. Populi vero qui ad hoc spectaculum undique concurrerant, clamorem magnum, ut mos est gentis illius, post ipsos extollentes, glebis etiam et lignis ac lapidibus fugientes a tergo sunt prosecuti. Cumque versus Cadwallanum, cujus assensum habuerat, apud Melenith episcopus iter ageret, turbam magnam clericorum in equis bonis, lanceis etiam et sagittis, qui archidiaconum sequebantur, obviam habuit. A quibus cum quæreretur qui apud Keri actum fuisset, respondit episcopus, quia non securus erat, se contra archidiaconum, qui bonus olim socius suus et amicus extiterat, nihil agere velle; et quod ad Cadwallanum, ut ei loqueretur, pacificus ibat.

Archidiaconus autem coram decano et clericis qui jam advenerant personas ecclesiæ super facto suo, quod episcopum illum adduxerant, acriter arguere cœpit. Qui responderunt, jurantes de voluntate sua nunquam id provenisse; sed veniam petentes se de cætero firmos ac fideles fore promiserunt. Accepto igitur ab ipsis fidelitatis sacramento, scilicet ecclesiæ Menevensi et sibi necnon et episcopo futuro, audiens per clericos suos, qui episcopo obviaverant, ipsum ad Cadwallanum ivisse in archidiaconatu suo, statim ad partes illas iter arripuit, et in ecclesia proxima loco ubi Cadwallanus episcopum susceperat, hospitium accepit; et hora cœnæ sc. in vespera,

sicut Walensibus mos est, misit episcopo de pane proprio et potu peroptimo, quos secum tulerat, causa curialitatis exenium pulchrum; quod et verbis adornans mandavit; quod ei in sua potestate et jurisdictione reperto, præcipueque pacifico, omnem honorem et reverentiam exhiberet; seque in domo sua propria, si sors obtulerit, eum libentissime et honestissime suscepturum. Rogavit etiam, quod sicut olim in Francia socii fuerant boni, quando pauperiores erant et privati, sic et nunc vicini boni et amici forent in potestate constituti. Episcopus autem licet dissuadentibus suis propter dedecus ei factum perpessamque repulsam quod non susciperet, tamen saniori consilio cum gratiarum actione suscepit; dicens se propter hoc factum non minus archidiaconum appreciari, quinimo magis ab omnibus fore laudandum, quod ecclesiæ suæ jura pro posse tueri satagebat; nec ob hoc se dilectionem ipsius et vicinitatem bonam velle aliquatenus recusare.

BOOK II.

Chapter I.

Of his Doings in the Prime of his Manhood.

His ita completis, Giraldus nil credens actum cum quid superesset agendum, nec retro respiciens sed semper se in anteriora protendens atque gradum incunctanter ascendens, causa majoris et maturioris sententiæ, congestis librorum thesauris in Franciam transfretare seque Parisius denuo studiis elegantioribus totis desideriis applicare curavit; quatinus super artium et literaturæ fundamentum legum et canonum parietes in altum erigere, et sacrum scripturæ theologicæ tectum a superiori concludere, et sic ædificium triplici structura connexum firmissimis stabilire

juncturis prævaleret. Cum igitur annis plurimis ibidem primum imperialibus constitutionibus deinde pontificalibus demum vero sacris apicibus studiosum animum applicuisset, tantam in causis decretalibus, quæ dominicis diebus tractari consueverant, gratiam optinuit, quod die quo ipsum causari velle notum in urbe fuerat, tantus ad vocem ejus jocundam doctorum omnium fere cum scolaribus suis concursus extiterat, quod vix domus amplissima capere poterat auditores. Adeo namque vivas legum et canonum rationes introductas rhetoricis persuasionibus adjuvabat; adeoque tam verborum schematibus atque coloribus quam sententiarum medullis causas adornabat, dictaque philosophorum et auctorum miro artificio inserta locis congruis adaptabat; ut quanto scientiores et eruditiores accederent, tanto avidius et attentius ad audiendum memoriæque figendum aures et animos applicarent. Tanta nempe verborum dulcedine ducti fuerant et deliniti, ut dicentis ab ore tanquam penduli et suspensi longo licet eloquio et prolixo, cujusmodi tædium multis afferre solet, nec fatigari possent hunc audiendo nec satiari. Unde et causas ejus omnes verbo ad verbum, sicut ab ore ipsius emanaverant, passim scribere scolares et amplecti magno desiderio contendebant. Quadam autem die cum fieret ad ipsum audiendum concursus undique magnus, finito sermone ipsius et murmure multitudinis cum favore cunctorum et laude subsecuto, doctor quidam egregius, qui et Parisius in artibus legerat et diu Bononiæ in legibus studuerat, cujus nuncupatio magister Rogerus Normanus, qui et postea Rothomagensis ecclesiæ decanus extitit, palam in hujuscemodi verba prorupit: "Non est sub sole scientia, "si fuerit Parisius forte delata, quæ incomparabiliter ibi "et longe excellentius quam usquam alibi proculdubio non "prævaleat."

Chapter IV.

Of the Return of Giraldus after his Prolonged Studies, and of the Things that chanced in the Meantime and on his Journey.

Ut autem ad rem pariter et materiæ cursum revertamur; Giraldus post diutinam in studiis moram repatriandum ducens, cum nuncios suos longe trans terminos veniendi et pecuniam ibi ferendi constitutos inaniter expectasset; et creditores, quibus obligatus in multis extiterat, importuni et impatientes de die in diem acrius instarent; dolens et anxius et quasi in extrema jam desperatione constitutus, ad capellam S. Thomæ Cantuariensis apud S. Germanum Autisiodorensem, ab archiepiscopo Remensi regis Ludovici fratre nomine ipsius inter ipsa martyrii sui initialia constructam et dedicatum, tanquam ad ultimum refugium cum sociis suis martyris auxilium devote deprecaturus et imploraturus accessit. Sciens quippe, quoniam ut ait Philo sapiens, quando deficit humanum auxilium, tunc recurrendum est ad divinum. Missa igitur de martyre solemniter audita et oblatione facta, præmio devotionis suæ statim et incontinenti divinitus dato, nuncios suos eadem hora cum hilaritate pariter et prosperitate suscepit: mira Dei dispositione, qui de rebus mundanis suo cursu provenientibus sanctis suis elicit, et quod ex gratia sua mera dari dinoscitur, vult tamen tanquam precibus et meritis obtineri.

Giraldo itaque versus Angliam iter agente, cum Attrebatum veniret in septimana Pentecostes, et juxta forum hospitatus esset; factus est tumultus in urbe magnus. Comes enim Flandriæ Philippus, qui tantus erat, in hac urbe sua tunc existens, in foro, quod tanquam in urbis

medio spatium magnum in quadranguli modum obtinebat, quintanam erigi fecerat, clypeum videlicet fortem posti firmiter appensum, ubi tyrones et robusti juvenes equis admissis militaria negotia præludendo, lanceas frangendo vel obstaculum transpenetrando, vires suas experirentur. Giraldus etiam ab alto hospitii sui solio cuncta prospiciens, et utinam tanquam vana despicere valens, vidit comitem ipsum totque cum ipso viros nobiles, tot milites atque barones sericis indutos, tot equos egregios admitti, tot lanceas frangi, ut cum diligentia magna considerans singula, vix satis admirari posset universa. Sed cum hoc quasi per horam unam durasset, totumque spatium illud grande tanta nobilitate repletum esset; comite Philippo subito discedente cunctisque dilapsis, ubi tanta pompositas paulo ante visa fuerat, nec homo nec bestia jam comparuit, nec quicquam nisi forum omnino vacuum videretis. Argumentum quidem et indicium magnum, sicut ipse de his et similibus loquens dicere solet; omnia sub sole vanitati subjecta et quasi phantasmata celerrime prætereuntia et tanquam momentanea sæcularia cuncta.

Chapter V.

How coming to Canterbury he called worthy of Correction the Things that he saw in the Convent of the Principal Church.

Procedens itaque et mari Flandriæ transnavigato, Cantuariam[1] veniens, in die S. Trinitatis cum monachis loci ejusdem et in refectorio requisitus a priore comedit. Ubi

[1] "Effusam Monachorum et præcipue Cantuariensium luxuriam Giraldus in *Speculo Ecclesiæ* MS. Dist. ii. cap. 4, acrius insectatur; ubi istius convivii historian ex hoc libro descriptam inseruit; addens se alia post vice eorundem Refectorio die S. Trinitatis interfuisse; et prioris mensæ adhibitum fercula septemdecim ordine imposita notasse" (Wharton).

sedens cum priore et majoribus in disco principali duo, sicut ipse referre consueverat, ibi notavit, signorum sc. superfluitatem nimiam, et ferculorum numerositatem. Tot etenim prior ad monachos servientes, et illi e contra ad mensas inferiores exenia ferendo, et hi quibus ferebantur gratias referendo, digitorum et manuum ac brachiorum gesticulationibus et sibilis ore pro sermonibus longe levius atque licentius quam deceret effluebant; ut quasi ad ludos scenicos aut inter histriones et joculatores sibi videretur constitutus. Esset itaque magis ordini consonum et honestati verbis humanis cum modestia loqui, quam muta in hunc modum garrulitate signis et sibilis tam joculariter uti. De ferculis et eorum numerositate quid dicam; nisi quod ipsum multotiens dicentem audivi, quia sedecim aut plura per ordinem, ne præter ordinem dicatur, sunt apposita valde sumptuosa. Ad ultimum quoque loco generalis olera per omnes mensas sunt allata, sed parum gustata. Tot enim videas piscium genera, assa quidem et elixa, farta et frixa, tot ovis et pipere cibaria cocorum arte confecta, tot sapores et salsamenta ad gulam irritandam et appetitum excitandum eorundem arte composita. Ad hæc etiam in tanta abundantia vinum hic videas et siceram, pigmentum et claretum, mustum et medonem atque moretum, et omne quod inebriare potest; adeo ut cerevisia, qualis in Anglia fieri solet optima et præcipue in Cantia, locum inter cætera non haberet. Sed hoc ibi cerevisia inter pocula, quod olus inter fercula. Tot inquam videas in cibis et potibus superflua nimis et sumptuosa, quod non solum hæc fastidium sumenti sed etiam tædium parere possent intuenti. Quid autem ad hæc Paulus eremita diceret? Quid Antonius? Quid monasticæ vitæ pater et institutor Benedictus? Ut etiam longe propius exempla petamus; quid noster Jeronimus, qui in *Vitas Patrum* primitivæ ecclesiæ parsimoniam et abstinentiam atque modestiam tantis laudibus effert; dicens ibidem inter

cætera, ecclesiam quidem, ex quo crevit possessionibus, multum decrevisse virtutibus. Referebat etiam quandoque Giraldus, quod et hic apponere præter rem non putavi, qualiter monachi S. Swithuni Wintoniæ cum priore suo coram Anglorum rege Henrico II., ad terram in luto prostrati, cum lacrimis ac luctu conquesti sunt ei, quod eorum [episcopus] Ricardus, quem et loco abbatis habebant, tria eis fercula subtraxerat. Et cum, rege inquirente quot eis remanserant, responderent decem, quoniam ab antiquo tredecim habere consueverant: "Et ego," inquit rex, "in curia mea tribus ferculis contentus sum. Pereat "episcopus vester, nisi ad hunc numerum ferculorum "meorum redigat fercula vestra." *Ut quid ergo perditio hæc?*[1] præcipue vero in viris religionem profitentibus et habitu præferentibus. *Poterant enim venundari* hæc superflua, *et dari pauperibus.* Hanc autem rationem assignant, et factum suum sic colorant; quod propter eleemosynam ampliandam et augmentandam tanta in ordine ipsorum inventa et admissa est ferculorum numerositas. Melius tamen atque consultius et scandalum vitari et honestati eorum atque modestiæ provideri posset, si paucioribus ferculis contenti forent, et de superfluis illis pauperes Christi reficerent; sicque gulam temperarent, et scandalum resecarent, et eleemosynam suam longe satius atque salubrius augmentarent.

[1] Matt. xxvi. 8.

Chapter XVI.

Of the Composing of the "Topographia Hibernica" and the Reading of it at Oxford in England.

Cum itaque magni nominis in insula tunc Giraldus extiterit et famæ præclaræ, inter Pascha et Pentecosten de Hibernia in Walliam transfretavit; ubi et *Topographiæ* suæ, cujus tractatum jam inchoaverat, consummationi studiosam ex toto mentem applicuit. Processu vero temporis opere completo et correcto, lucernam accensam non sub modio ponere, sed super candelabrum ut luceret erigere cupiens, apud Oxoniam, ubi clerus in Anglia magis vigebat et clericatu præcellebat, opus suum in tanta audientia recitare disposuit. Et quoniam tres erant in libro suo distinctiones, qualibet recitata die tribus diebus continuis recitatio duravit; primoque die pauperes omnes oppidi totius ad hoc convocatos hospitio suscepit et exhibuit. In crastino vero doctores diversarum facultatum omnes et discipulos famæ majoris et notitiæ. Tertio die reliquos scolares cum militibus oppidanis et burgensibus multis. Sumptuosa quidem res et nobilis, quia renovata sunt quodammodo authentica et antiqua in hoc facto poetarum tempora; nec rem similem in Anglia factam vel præsens ætas vel ulla recolit antiquitas.

Chapter XVII.

Of the General Taking of the Cross in England, and how both Peter, Bishop of St. David's, and Giraldus, the Archdeacon, were signed with the Cross.

Circa dies istos terra Jerosolimitana peccatis urgentibus paganis et Parthis Saladino duce subacta, rex Henricus exemplo Ricardi filii sui comitis Pictaviæ Cisalpinorum principum primo cruce signati, una cum Philippo Francorum Rege apud Gi[s]ortium, præsente Tyrensium archiepiscopo et persuadente, crucem susceperat; de Normannia, ubi moram diutinam fecerat, circa kalendas Februarii in Angliam venit; et statim convocato in Norhamtunæ partibus apud Garcedune quasi concilio, prædicante Baldewino Cantuariensi archiepiscopo et crucis signum præferente, necnon et Gilleberto Roffensi episcopo sermonem ad hujus faciente, ipso quoque rege operam ad hoc præbente, majores Angliæ tam de clero quam de populo crucem ibidem in humeris assumpserunt. Ut autem Walliæ sicut et Angliæ probos viros ad crucis obsequium rex alliceret et obligaret, Cantuariensem archiepiscopum Baldewinum ad Walliæ fines transmisit. Qui cum circa caput Jejunii simul cum Rannulfo de Glanvilla ei adjuncto Herefordiam veniret, et apud Radenouram Walliam intraret, ibique Resum filium Griffini et principales Walliæ viros plures obvios haberet; facto ab archiepiscopo sermone de crucifixi negotio, primus omnium Giraldus archidiaconus aliis exemplum præbens, ad instantiam regis quæ præcesserat magnam, et archiepiscopi quoque ac justiciarii ex parte ipsius plurimam, tam devotione propria quam tantorum virorum exhortatione

archiepiscopo imponente crucem suscepit. Et statim Menevensis antistes Petrus, archidiaconum tam sequendo quam imitando, cum aliis multis signo crucis humeris assuto et assumpto, crucifixi obsequiis sunt astricti. Sicut in *Itinerario* Giraldi, quod ipse conscripsit, singulorum gesta dierum per Walliæ circuitum, et rerum eventus tam antiqui quam moderni, luculento relatu depromuntur.

Chapter XVIII.

How Baldwin, Archbishop of Canterbury, preached the Crusade throughout Wales, and how Giraldus, the Archdeacon, was joined with him as his Faithful Companion for the Work of Preaching.

Procedens igitur archiepiscopus, et archidiaconum Giraldum individuum sibi ad prædicationis officium comitem assumens, Walliam quasi laterando, et per australem maritimam et episcopatum Landavensem versus Meneviam tendendo, crucem et crucifixi obsequium ubique locis congruis prædicabat. Demum vero cum jam Demetiam intrasset, et Meneviæ partibus appropinquasset, apud Haverfordiam tanquam in medio provinciæ sitam convocato partium illarum clero et populo, primum ipse sermonem fecit, deinde Giraldo archidiacono verbum Domini faciendum injunxit. Cui tantam loquendi et persuadendi gratiam eadem hora contulit Deus, quod totius terræ illius de ordine militari juventutis electæ pars potissima crucem susciperet, de populo vero non numerati. Cum autem archiepiscopus ad verbum suum de tanta multitudine paucos crucem sumpsisse videret; quasi condolens et admirans, ait: "Deus, quam dura gens est hæc?" Cumque crucem suam portatilem ad tenendum

eique innitendum archidiacono tradi juberet, et archidiaconus episcopo suo Petro, qui ad latus archiepiscopi sedebat, verbum injungi moneret; subjunxit archiepiscopus, quia non attendi dignitas ad hoc debet, sed cui gratiam dederit Deus. Distinxerat autum sermonem suum archidiaconus in tres particulas, tanquam vim violentam persuasionis in fine singularum constituendo. Unde et ter tanta venientium et crucem rapientium pressura fiebat, ut vix archiepiscopus ab impressione turbarum nimia defendi posset, et archidiaconum loquentem silere diutius et pausare præ tumultu singulis vicibus illis oporteret. Miles autem, cui nomen Philippus Mangunellus, qui et cognatus erat archidiaconi, eidem pridie dixerat serio quidem et non ludicro coram multis; quod nullus vir probus patriæ propter suam vel archiepiscopi prædicationem crucem sumeret, et quia sic pro nihilo venerunt. Cui archidiaconus paucis sic respondit, quoniam in Deo erat hoc et non in homine. Accidit autem ut militem illum in prospectu ipsius sedentem, quotiens sic pausando silebat, totum flendo lacrimis effluere videret. Qui postea finito sermone cum quinque vel sex commilitonibus viris probis ac strenuis ad archiepiscopum accelerantes, crucis signaculo sunt insigniti. Ex quo patet, quod Spiritus ubi vult spirat et quando vult spirat. Unde et archiepiscopus pluries in illo itinere dicebat nusquam se tot lacrimas, quantas apud Haverfordiam viderat, uno die vidisse. Jeronimus autem in libro epistolari dicit, quod lacrimæ populorum laudes sunt prædicatorum.

Præterea pro se miranda multi ducebant et obstupebant, cum archidiaconus lingua tantum Gallica loqueretur et Latina, quod non minus vulgares qui neutram linguam noverant, quam cæteri ad verbum ipsius flebant innumeri, et ad crucis signaculum plures quam ducenti concurrebant. Simile contigit in Alemannia de beato Bernardo; qui

verbum Domini Teutonicis faciens lingua Gallica, quam penitus ignorabant, tantam eis devotionem incussit et compunctionem, ut et ab oculis eorum lacrimarum affluentiam, et ad cuncta quæ suadebat vel facienda vel credenda facillime cordium eorum duritiam emolliret; cum tamen ad interpretis sermonem eis lingua sua singula fideliter exponentis nihil omnino moti fuissent. Ex quo patet virtute divina Spiritu interius operante et corda perlustrante, tam hic quam ibi rebus quoque plus quam verbis actum fuisse. Unde et finito sermone, cum archidiaconus, qui stando locutus fuerat, se in sessione reciperet, vir quidam hospitalaris qui prope consederat, dixit ei verbum istud: "Vere Spiritus Sanctus hodie manifeste locutus est ore vestro." Comes vero Moritoniæ Johannes, qui fratri Ricardo postea successit in regnum, quia tunc temporis comitatum de Penbroc donatione patris habebat, quam cito postea Giraldum archidiaconum in Anglia vidit, acriter ei coram multis improperavit, quod terram suam toto robore suo totisque viribus, per quas contra Walenses se tuebatur, per suam prædicationem evacuaverat; et quia non adeo propter terræ Jerosolimitanæ subventionem sicut propter terræ suæ destructionem, ut eam sc. sic viris vacuam parentibus suis Walensibus tradere posset, illud fecerat. Ad quod archidiaconus breviter respondit, in hunc modum; quia intentionem suam in hoc facto scrutator cordium et intentionum novit Deus, et ille dijudicet.

Chapter XIX.

How the Archbishop imposed on the Archdeacon the Duty of Preaching at St. David's, and of the Things that were done in Kemes and Cardigan, Gwynedd and Powys.

Procedens autem archiepiscopus et inde Meneviam veniens, quoniam ad Resum principem Suthwalliæ ipsum apud Aberteini expectantem iter accelerabat, Giraldo archidiacono super verbo Domini ibidem seminando vices suas injunxit. Ubi multi quidem ipsum audientes ad crucis signaculum cum magna devotione accurrerunt; multo vero plures ad verbum ipsius valde moti, certumque propositum suscipiendi crucem habentes, ad interpretis vocem, quæ non adeo ordinate vel gratiose processit, statim a voto suscepto resilierunt. Quoniam, ut ait Rhetor Apollonius, "lacrima nihil arescit citius." In crastino vero apud Kemmeis non procul tamen a ponte de Aberteini, convocato populo partium illarum coram principe Reso, primum ad archiepiscopi deinde ad archidiaconi verbum virorum allecta est copia multa. Unde et eodem die vir quidam jocosus, qui simulata stultitia et lingua dicaci magnum curiæ solatium præstare solet, cui nomen Johannes Spang, dixit Reso: "Multum diligere "debes, O Rese, cognatum hunc tuum archidiaconum, quia "certum homines vestros vel plures ad Christi obsequium "hodie misit; et si lingua Walensica locutus fuisset, non "credo quod unus vobis de tota multitudine vestra "remansisset."

Contigit autem eodem die, quod viro quodam cruce signato, quanquam unico filio et unico matris senio jam confectæ solatio, eundem statim mater intuita et divinitus ut videbatur inspirata, subjecit: "Gratias tibi, carissime

"Domine Christe, intimas ago; quod talem mihi filium, "quem tuo dignareris obsequio, parare concessisti." Fuit et alia ibidem mulier, matrona sc. de Abertheini, animo a priore longe dissimili; quæ virum suum, ne ad archiepiscopum iret neve crucem susciperet, per pallium et zonam firmiter tenens, coram cunctis impudenter retrahebat. Sed eadem tertia post nocte terribilem hanc in somnis vocem audivit: "Servientem meum mihi abstu- "listi; quamobrem et a te quoque quod plurimum diligis "auferetur." Qua visione viro cum utriusque tam admiratione quam terrore relata, cum iterum obdormisset, filium puerulum, quem secum in thoro materna plus dilectione quam diligentia jacentem habebat, non minus infeliciter quam insuaviter oppressit. Et statim vir diocesano episcopo tam visionem referens quam vindictam, crucem suscepit uxore favente ipsaque signum sponte propriis manibus armo virili inserente. Post hæc autem per amplam de Kerdigaun provinciam euntes, et trans fluvium Devi Venedociam intrantes, cum toto quadragesimali tempore crucis obsequiis indulgerent, ubique sermo Giraldi incomparabiliter gratiosus extiterat. Tandem vero cum apud Album Monasterium et Osewaldestrue Powisiam lateraliter ambientes, Paschalibus diebus Solopusburiam pervenerunt; cum ad archiepiscopi cæterorumque verba perpauci, ad suasibilem Giraldi sermonem allecta virorum fuit copia multa. Unde cum finitis sermonibus turbæ quæ convenerant dissolverentur, dixit matrona quædam ad convicaneas et matres suas in discessu, audientibus clericis archiepiscopi, ipsoque Giraldo, qui tunc eas e vestigio forte sequebatur: "Nisi archidiaconus ille (loquens sc. de "Giraldo) tam lenibus verbis et tam simplici vultu viros "nostros circumvenisset et incantasset, bene propter "omnes alios evasissent." Dixit etiam vir quidam, qui intererat, oppidi illius: "Non est huic archidiacono curan- "dum, in quo loco ant coram quibus loqui debeat."

Chapter XX.

Of the Archbishop's Commendation both of Giraldus and of his Composition.

Finita sic igitur legatione laudabili, cum ad Angliam de Walliæ finibus tenderet archiepiscopus, quidam de clericis suis pariter iter agentes, et de peregrinatione Jerosolimitana coram ipso loquentes, interrogabant eum quis nobilem historiam illam de terræ Palestinæ per principes nostros restauratione, et Saladini ac Saracenorum per eosdem expugnatione digne tractare posset. Quibus ipse respondens ait, se bene providisse ac promtum habere qui historiam illam egregie tractaret. Et cum instarent illi quærendo quisnam esset, vertens se ad archidiaconum Giraldum, qui ad latus ipsius equitabat: "Hic est," inquit, "qui prosaice tractabit, et nepos meus Joseph[1] metrice, "quem et archidiacono adjungam, ut ei serviat et inseparabiliter adhæreat." Sperabat enim archidiaconum promovendum a rege plurimum et sublimandum. Cœpit etiam librum archidiaconi, quem ei in introitu Walliæ dederat, et quem ipse jam legerat et perlegerat, sc. *Topographiam Hibernicam* valde commendare, et stylum ipsius tractandique modum multis laudibus extollere. Potuit etiam in hoc archiepiscopi tam modestia notari quam prudentia; quod nihil in laudem libri istius aut vituperium, donec totum audisset, pronuntiare volebat. Sciens quippe, quod plerumque principium medio, medium quoque discrepat imo. Quæsiverat etiam archiepiscopus

[1] "Josephum Iscanum a Baldwino hic laudari arbitror. Claruit is isthoc circiter tempore, arte poetica insignis; qui inter alia ingenii sui monumenta scripsit metrice Belli Trojani Historiam, sub Daretis Phrygii nomine vulgatam. Illi patronus erat Baldwinus archiepiscopus, referente Lelando apud Baleum de Scriptor, *Cent.* III. *cap.* 60. Baldwini nepotem fuisse non alius ante Giraldum indicavit" (Wharton).

ab ipso, utrum evidentiam aliquam ab agiographis et expositoribus nostris habuisset, super allegoriis circa avium naturas assignatis in prima *Topographiæ* Distinctione. Et cum responderet quod nullam, subjecit archiepiscopus, quia revera spiritu eodem quo et illi scripserunt scripta sunt ista. Ad hæc autem injunxit ei archiepiscopus, ut gratiam styli egregii sibi a Deo collati vacuam esse non permitteret; sed ea semper utendo et aliquid scribendo tempus otio non amitteret, sed studio continuo laudabilique labore nominis sui memoriam in ævum extenderet, et perpetuam sibi tam presentium livore carentium quam futurorum gratiam et favorem compararet; dicens etiam et asserens, ipsum longe plus quam divitias aliquas terrenas in brevi perituras, aut sæculares dignitates cito prætereuntes, talem styli gratiam a Deo datam diligere debere, et valde gratus existere; cujus quippe nec præterire possunt opera nec perire, sed quanto longæviora fuerint et antiquiora, tanto per ævum omne cunctis cariora et pretiosiora futura.

Chapter XXI.

How he was sent into England and Wales by Count Richard after his Father's Death.

Interea werra inter reges transmarinis in partibus orta prægrandi, Pictavensium comite Ricardo occasionem præstante, transfretantibus quoque Cantuariensi archiepiscopo et Ranulfo de Glanvilla regni justiciario, consilio eorundem et archidiaconus transfretavit. Sed rege Henrico in brevi post defuncto, filioque suo comite Ricardo ei subrogato, missus est ab eo, consilio Cantuariensis archiepiscopi, ad servandam pacem in Walliæ

finibus propter regum mutationem Giraldus archidiaconus cum literis multis. Contigit autem, cum apud Depam transfretaturus accederet, nec vento in contrarium flante transfretare posset; relictis ibi saginariis et oneribus suis, ipse et milites quidam, quorum similiter erant acceleranda negotia, iter versus Flandriam per maritimam, ut citius ibi transnavigare possent, expedite et absque sarcinis arripuerunt. Unde et quiddam, quod archidiaconus, quando de variis casibus et fortuitis eventibus suis loquebatur, referre consueverat, hic interserere præter rem non putavi. Accidit enim, quod per generalem illam temporis intemperiem, quæ tunc imminebat, qua non solum de populo innumeri, verum etiam rex ipse cum baronibus multis rebus humanis exempti fuerant, servientes archidiaconi fere cuncti vel ægroti repatriassent, vel in partibus illis morbo decubuissent. Unde puero quodam, qui solus illi de suis sanus et superstes extiterat, cum saginario clitellisque apud Depam relicto, de quodam extraneo quem nunquam antea viderat camerarium suum fecit; eique rerum suarum, quas cariores habebat, et quas secum tunc ferebat, custodiam dedit. Mane vero fluvio Depensi a boreali latere transvadato, de quo mare influens portum facit, cum in colle quodam, a quo villam a tergo relictam et classem in portu prospicere poterant, se recepissent et stetissent, quærentes ad invicem, ut viatores solent, utrum socios suos omnes et res quas tunc ferre volebant secum haberent; defuit novus ille archidiaconi cliens. Cumque diutius ibidem ipsum expectassent, et nusquam compareret, cœpit archidiaconus (nec mirum) de ipso hæsitare; utpote qui ignotus omnino fuerat, de quo securitatem nullam habebat; recolens etiam ipsum aliquando dixisse, quod si nisi ei tunc adhæsisset, ad quendam fratrem suum qui in Hungaria fuerat quærendum iret. Audientes autem milites qui in comitatu fuerant quod extraneus esset, et quia pecuniam non modicam ferebat, archidiacono ut

rediret, eumque tam apud Depam quam etiam Rothomagum, ubi ad ipsum primo venit, sollicite quæreret, consuluerunt. Archidiaconus autem, quia solus erat et absque sequaci, de inventione illius diffidens omnino si aufugisset, potius una cum illis iter agere, quod jam cœperat, totumque Deo committere præelegit. Cum igitur Augum transiret in marchia Normanniæ versus Flandriam constitutum, et in colle quodam iterum diu expectantes eumque non videntes, omni spe destituti tunc fuerunt; quoniam etsi sequeretur per terras de Vimmou et Sancto Walerico latronibus et vespilionibus plenas, cum solus esset, nullatenus evadere posset non spoliatus. Et cum inquirentibus militibus summam eorum quæ ferebat, illis archidiaconus exposuisset, tunc instantius ut reverteretur adhuc et quæreret commonuerunt. Erat enim summa pecuniæ quam ferebat in auro et argento, ciphis et coclearibus, marcarum quasi xl., præter palefridum quem equitabat bonum, et vestes archidiaconi quas portabat, præter capsam quoque literis comitis plenam, et præter tabulas grandes itinerarium suum et laborem annuum nusquam adhuc alibi scriptum continentes. Cum igitur ipso reverti nolente sed totum Deo committente, iter accelerantes Abbevillam venissent et hospitati fuissent, archidiaconus cameram quamdam solus intravit, super his quæ sibi acciderant sollicite cogitans et contristans. Sicut enim ipse referre solebat, causæ cogitandi et contristandi cum tres fuissent; prima quidem de pecunia perdita nonnulla fuit, sed respectu aliarum modica; quia pecuniam frequens est amittere et aliam recuperare; secunda de litteris comitis perditis et prima legatione sibi ab eo injuncta sic evacuata major. Sed quia litterarum tenorem noverat, per litteras justiciarii Angliæ similes remedium aliquod habere potuit. Tertia vero de tabulis perditis maxima; quia de libro non edito sed edendo tabulis comprehenso et cum ipsis perdito damnum dicebat non

recuperandum ; quia laborem illum unde plus dolebat, nec a se nec ab alio quoquam reiterandum. Cumque mœstus ibi plurimum et anxius esset, demum cogitans et recolens illud amantis remedium; "Loca sola nocent, loca sola caveto:" statim ad aulam se conferendo, nunc militum nunc servientium se turbis inseruit ; ut aliud et aliud audiendo aliud interdum cogitare et doloris instantis vehementiam vel sic mitigare valeret. Nec mora, quoniam prope est Deus in angustiis, ecce puer de foro veniens quæsivit cujusmodi equum haberet ille archidiaconi cliens ; et cum audiret quod ferrandum, dixit se quendam talem equitantem in foro vidisse cum magno trussello, qui hospitium archidiaconi quærebat ; et cum illico missum esset propter illum, ad hospitium ductus est idem ille, et cum gaudio susceptus est ab universis. Et cum quæreret archidiaconus, utrum salva essent omnia ; respondit, salva. Causam autem moræ, quia non nisi post prandium assignari milites permiserunt, tunc assignavit in hunc modum, dicens ; quod fluvio transvadato descendens ad equum suum stringendum et involucrum suum quod grande fuerat æquandum et firmandum, comperit se corrigiam xx. marcarum et plurium ab involucro dilapsam amisisse. Unde reversus illico ad villam et hospitium unde exierat, quæsivit undique diligenter intus et extra, nec invenit. Sicque revertens et aquam jam tertio transiens, ut sequeretur ex toto spe fraudatus, oculos tamen via qua primum iverat in littore petroso deorsum trahens, vidit et invenit corrigiam suam inter lapides jacentem, non extensam sed complicatam, ut antea fuerat, et constrictam. Casus igitur hic multiplex erat et multipliciter admirandus. Primus quod corrigiam sic perditam invenit. Secundus quod ipsa inventa occasione absentiæ nostræ, qui tunc longe remoti fuimus, cum rebus omnibus quas gestabat, non recessit ; præsertim cum extraneus esset. Tertius quod sequens solus et tam onustus per viam

vespilionibus et prædonibus plenam integer et indemnis advenit. Patet ergo, quod graves interdum tribulationes et angustias his, quos diligit et dirigit, immittit Deus; et tamen majore urgente molestia, propinquum interdum se propitiumque demonstrat.

Venientibus igitur ipsis ad mare Flandriæ et transfretantibus, archidiaconus Londoniam accelerans, reperto ibidem puero suo cum saginario apud Depam relicto, traditisque literis comitis justiciario sibi directis, statim ad Walliæ fines festinavit. Datisque literis comitis quibus fuerant destinatæ, patriam præ morte regis valde turbatam plurimum adventu et interventu suo pacificavit. Comes autem Ricardus paulo post in Angliam veniens, Londoniis in regem coronatus est. Sed [parvam in] Anglia moram faciens, ut una cum Philippo Francorum rege Ierosolimitanam peregrinationem arriperet, in Normanniam transfretavit; cancellario suo Willelmo de Nunchamp,[1] cui archidiaconum adjunxit, justiciario in Anglia relicto. Videns autem archidiaconus regem Henricum, ad cujus instantiam crucem susceperat, jam defunctum, accedens ad cardinalem et legatum Johannem Anagninum, qui tunc recedens ab Anglia Dovoriæ fuerat, sibi et episcopo suo senio confecto, nil tamen requisitus, ab illo absolutionis gratiam et cartam talem impetravit.

[1] Longchamp.

BOOK III.

Chapter XVII.

Of the First Journey of Giraldus to the Court of Rome, and of his Misfortune at the Outset.

Iter igitur archidiaconus arripiens et Deo se Sanctoque David, cui militabat, ex toto committens, vigilia Assumptionis B. Mariæ ad monasterium Stratæ Floridæ cum sociis suis et sequela tota pervenit; ibique librorum suorum[1] et bibliothecæ thesaurum de Anglia apud Brechene et illuc inde extra potestatem Anglorum, quicquid contingeret, allatum eodem die suscepit. In crastino vero Assumptionis Ithenardus decanus missus ab archidiacono versus Brechene cum parte pecuniæ suæ et equis qui libros portaverant, propter Anglorum insidias quas per Angliam timebat, in montanis de Ruella a Walensibus quos non timebat est spoliatus; vitansque Scillam quasi in Carybdim incidit, non expectato vulnus ab hoste ferens. Et quia non sola venire solent incommoda, reversus Ithenardus sic spoliatus præ confusione forsan infortunii sui gravi statim morbo correptus occubuit. Sic itaque Giraldus illico et quasi præ foribus sc. in ipso viæ aggressu tam pecunia privatus quam sequela, fortunæ didicit impetus et adversitatis insultus æquanimiter sustinere.

Procedens autem de Strata Florida, et per montana de Elenit versus Cumhir accelerans, et inde apud Keri Angliam intrans, properans apud Sandwich mare Flandricum transfretavit; et nuncios suos de nundinis Winto-

[1] "Se libris demum suis monachorum, apud quos erant depositi, versutia ac perfidia defraudatum fuisse Giraldus acerbe conqueritur, in *Speculo Ecclesiae*, Dist. III., cap. 5" (Wharton).

niæ venturos per xv. dies et plures apud S. Audomarum expectavit: ubi et alterum socium suum, sc. magistrum Martinum Menevensem canonicum gravi morbo correptum, secundo fortunæ insultu, remittere oportuit. Duos autem juvenculos ecclesiæ suæ, quorum et alter canonicus Menevensis erat, in partibus illis scolares inventos, qui saltem pro jure ecclesiæ suæ metropolitico cum ipso stare possent, secum duxit. Cum itaque propter werram grandem, quæ inter regem Franciæ Philippum et comitem Flandriæ Baldewinum, qui regi Angliæ Johanni tunc adhæserat, orta fuit, recta via per Franciam ire non poterat; longo circuitu per Flandriam profundam a sinistris et Henoniam per Ardeniæ grandis silvas hispidas et horrendas, Campaniam laterans et Burgundiam penetrans, ad publicam demum stratam cum peregrinis et mercatoribus itinerando pervenît. Mirum autem, quod xxvi. annis ante provisus fuit a quodam in somnis labor iste. Videbatur enim ei circa dies extremos David Menevensis episcopi, quod processionem vidit Meneviæ magnam cum campanarum omnium pulsatione. Et cum inquireret quidnam hoc esset; dictum est ei, quod erat electus Ardeniæ magnæ qui ad ecclesiam veniebat. Et cum diligentius inspexisset, videbatur ei, quod Giraldus archidiaconus esset, cum tanto ibi pro electo Ardeniæ magnæ, qui ad ecclesiam veniebat, et cum diligentius inspexisset, honore susceptus. Putabant autem aliqui visionem hanc audientes post obitum David episcopi, quia nominatorum primus et præcipuus erat Giraldus quidem, Ardenia magna vocata in visione Wallia fuerit, quia terra silvestris est ut illa. Sed verius tempus istud quo vere et præcise electus fuerat visio prospexit. Et quia per Ardeniam magnam viam inviam et indirectam vespilionibus et latronibus plenam, tam periculose laborem tantum fuerat aggressurus, Ardeniæ magnæ dictus electus erat.

Chapter XVIII.

How, coming to the Pope, he gave him Gifts of Books, not of Money.

Alpes itaque transcendens, et Italiam ac Tuscaniam transcurrens, circa festum Sti. Andreæ Romam pervenit; et accedens ad pedes papæ sc. Innocentii III. qui tunc præsidebat, et papatus ejus anno secundo, vi. libros suos, quos ipse studio magno compegerat, ei presentavit; dicens etiam inter cætera: "Præsentant vobis alii libras, sed nos libros." Libros autem illos papa, quia copiose literatus erat et literaturam dilexit, circa lectum suum indivisos per mensem fere secum tenuit, et elegantia ac sententiosa verba cardinalibus advenientibus ostentabat; deinde vero singulis cardinalibus singulos precario concessit. *Gemmam* autem *Sacerdotalem* præ cæteris dilectam a se separari non permisit. Nec mora: sed quasi xv. diebus ante Natale cursor quidam litteras archiepiscopi Cantuariensis ad curiam portavit; quas clericus quidam in eodem comitatu veniens et contra Giraldum missas esse præsentiens, furto sublatas ei secreto venales obtulit. Erant autem xii. paria tam domino papæ quam cardinalibus missa. Giraldus autem hæc audiens respondit clerico, quod literas uni cardinalium missas ei prius ostenderet, ut videre posset utrum pro se an contra missæ fuerint. Quo facto litteras ostendit Petro Placentino missas; quas cum fracto sigillo Giraldus inspiceret, invenit eas invectionibus plenas, tam personam suam sc. quam electionem graviter accusantes. Sciens itaque per hoc alias simili tenore compositas, accessit ad dominum Albanensem episcopum Johannem, quem præ cæteris tunc cardinalibus magis familiarem habebat; ipsumque super

hoc consulens, responsum accepit, quod nil propter illas litteras daret, nec etiamsi gratis habere posset, acciperet; quod in injuriam domini papæ et cardinalium, quibus litteræ missæ fuerant, hoc fieret: potiusque velle debere quod adversarium haberet, quam absque adversario diutinam in curia moram faceret. Clericus autem cum a Giraldo nihil habere posset, conversus ad cursorem, litteras ei pretio dato restituit. Papa vero literas archiepiscopi sibi porrectas archidiacono Giraldo ad se vocato statim ostendi jussit; quibus perlectis respondit: "Do-"mine, scripsit magis ut archiadversarius quam ut archi-"episcopus, homo iste, quippe nec veritati parcens, ut "lædere possit, nec verecundiæ." Cui papa: "Vis ergo "litteris istis respondere?" At ille: "Volo, si placet "excellentiæ vestræ." Et papa: "Placet utique; et "litteris ad litteras post Natale respondeas." Imminebat enim jam dies Natalis, quibus abstinentes a curia studio vacare volebant. In crastino vero Epiphaniæ, quia non diutius ibi feriatur, procedens archidiaconus in pleno consistorio proposuit se litteris archiepiscopi Cantuariensis contra se missis respondere paratum. Cui papa: "Le-"gantur ergo litteræ archiepiscopi primum, et postea "respondeas." Lectæ sunt igitur coram omnibus.

SELECTIONS FROM "GEMMA ECCLESIASTICA"

PART I.

Preface.

Quoniam contra hostis antiqui jacula defensionis clipeum ecclesiastica nobis sacramenta prætendunt, super his, unde vos circiter hæc magis dubitare et quæstiones frequentius, cum adhuc apud vos essem, mihi deferre consuevistis, necnon et aliis quibusdam quorum vobis notitiam fore novi pernecessariam, præsertim etiam in his quæ inter cætera et utilius sciuntur et periculosius ignorantur, absens quidem corpore sed spiritu præsens et caritate, diligentiam vestram scripto præsenti instruere dignum duxi et ex officii debito non alienum, quatinus qualem erga vos dilectionis affectum habeam ex hoc perpendere, et quia curam vestri propter locorum distantias non abjecerim, intelligere valeatis.

Non nihil est enim nec laude prorsus indignum vel gratitudine ex magnis voluminibus, ubi digniora et elegantiora præ verborum multitudine non absque difficultate reperiuntur, quæ saniorem redolent sensum atque saluti magis accommodum, in unum colligere, et ex aliorum dispendiis compendiosum aliquid elicere.

Ac si in littore maris inter arenas innumeras preciosas multo quis labore gemmas excerpat, vel per hortos

deambulans spatiosos ab herbis frivolis et infructuosis utiles et virtuosas excipiat, et ab urticis atque ligustris lilia rosasque distinguat.

In duobus igitur hæc doctrina consistit, præceptis scilicet et exemplis. "Longum enim iter est," ut ait Jeronymus, "per præcepta, commodum autem et compendiosum per exempla." De sanctorum itaque legendis patrum, quarum apud vos minor est copia, ex aliis quoque tam antiquis quam et nostri temporis fideliter gestis, quædam vobis non inutilia exempli causa congessi; et inter ipsa doctrinæ verba locis competentibus exempla subnexui, ut sicut ex illis eruditionem, sic et ex istis legendo consolationem et æmulam vitæ laudabilis imitationem possitis elicere.

Scio tamen quod eruditis auribus delicatisque quibus trita sunt ista lectoribus, vel tædiosus esse videbor in hoc opusculo vel superfluus. Sed sciant illi quod Walliæ nostræ soli scripta sunt ista, publicis admodum et planis absque ornatu tam verbis quam sententiis rudibus, solum ad intelligendum exposita. Quod si forte mandati fines excedentia Marchiæ nostræ metas transvolaverunt, et in majorum manus quandoque dilapsa eruditorum oculis se præsumptuose subjecerint, sciant et hoc illi quoniam ipsis malo propinare superflua quam nostris subtrahere necessaria.

In primis igitur quæstiunculas breviter quasi capitulorum notulas præmisimus. Deinde seriatim singula prosecuti sumus.

In duas quoque particulas per titulos non incompetenter et capitula distinctiunculas, ad fastidia tollendum faciliusque quod quæretur inveniendum, opus universum distribuimus.

Chapter XXII.

Of Eusebius of Vercellæ.

Ad beatum vero Eusebium Verzellensem, cujus mentionem supra fecimus, revertamur. Die quodam omnes totius urbis campanæ per se, nullo pulsante, sonare cœperunt. Quod cum a clericis primum, deinde a civibus compertum fuisset, factus est concursus populi totius ad domum episcopi magnus ob tantæ novitatis ostentum, a viro sancto quidnam hoc portendere posset interrogantium. Ipse vero tunc temporis in conclavi sacræ lectioni sicut moris habebat indulgebat; puta qui totus lectioni datus erat et orationi, minimam circa exteriora curam habens. Quo audito, aliquis inquit, "Vir magnus Deo gratus urbem hanc proculdubio jam intrabit." Et statim cives ad quatuor portas misit, præcipiens quatinus omnes adventantes usque ad vesperam retinendo servarent. Ipsemet autem cum clericis suis ad portam occidentalem profectus est, et cum aliquantulum quasi in occursum hospitis advenientis processisset, statim obvium habuit sibi sanctum Germanum Antisiodorensem (*sic*) episcopum, non pompose quemadmodum errant hodie episcopi nostri cum equitaturis multis, sed humiliter et cum paucis Romam euntem. Quem illico cum gaudio suspiciens, et ad urbem ducens, præmittens etiam ad ecclesiam, ipsum cum honore maximo, sicut decebat, et processione suscepit, campanis assidue, sicut ab initio, cum omnium admiratione per se sonantibus, et donec tota processionis esset completa solemnitas non cessantibus. Revertentibus autem episcopis duobus ab altari per presbyterium in navem ecclesiæ, quæ pars laicorum dici solet, ecce ferebatur in ecclesiam corpus civis nobilis eodem forte die defuncti cum magna civium sequela, lugubres, ut ibi

mos est in funeribus, planctus et gemitus emittentium. Germanus autem respiciens Eusebium, "Quid facis," inquit "Eusebi?" Cui ille: "Frater in Christo dilecte, non "sum meriti tanti, sed tuis id potius meritis incumbit, et "tu in nomine Domini suscites eum." Cui Germanus: "Nec ego, nec tu, sed Jesu Christus suscitet eum." Et statim surrexit qui mortuus fuerat, stupentibus pariter et congratulantibus cunctis. Factum est itaque gaudium magnum in illa civitate pro tanti hospitis adventu, et signis ostensis tanquam angelum eis de cœlo missum suscepissent.

Chapter XLIII.

That People ought not to Indulge in Dances and Songs in Churches and Cemeteries.

Quod autem saltationibus et cantilenis in sanctorum solemnitatibus populi vacare non debeant circa ecclesias et cœmeteria, sed tantum divinis officiis, habemus ex concilio Toletano, De Consecratione, Distinctione tertia: "Irre-"ligiosa consuetudo est quam vulgus per sanctorum "solemnitates agere consuevit. Populi qui debent divina "officia attendere saltationibus turpibus invigilant, cantica "non solum mala canentes, sed et religiosorum officiis "obstrepunt. Hoc etenim ut ab omnibus provinciis "depellat sacerdotum ac judicum a concilio sancto curæ "committatur." Unde Augustinus: "Nemo in oratorio "aliquid agat nisi ad quod factum est, unde et nomen "habet."

Exemplum de sacerdote, qui in Anglia Wigorniæ finibus his nostris diebus interjectam quandam cantilenæ particulam, ad quam sæpius redire consueverant, quam refectoriam seu refractoriam vocant, ex reliquiis cogitationum,

quoniam ex abundantia cordis os loqui solet, quia tota id nocte in choreis circiter ecclesiam ductis audierat, mane ad missam sacerdotalibus indutus, et ad aram stans insignitus, pro salutatione ad populum, scilicet, "Dominus "vobiscum," eandem Anglica lingua coram omnibus alta voce modulando pronuntiavit in hunc modum: "*Swete "lamman dhin are.*" Cujus hæc dicti mens esse potest: "Dulcis amica, tuam poscit amator opem." Hujus autem eventus occasione episcopus loci illius, Willelmus scilicet de Norhale, sub anathematis interminatione publice per synodos et capitula prohiberi fecit, ne cantilena illa, propter memoriæ refricationem, quæ ad mentem facinus revocare posset, de cætero per episcopatum suum caneretur.

PART II.

Chapter XXXIV.

Of the Shearing of the Sheep and the Excesses and Wrongdoings of Bishops.

Ad hæc etiam audiant prælati, qui per se vel per suos ovium tantopere indulgent tonsioni, quæ tonsoribus ovium, in quibus subditorum depilatores dantur intelligi, accidere solent, sicut in Genesi legitur Laban in tonsione ovium suarum amisit societatem Jacob. Item, sicut legitur in Regum, Absalon in tonsione ovium conjurari fecit, quo interfici jussit fratrem suum Amon. Item, Nabal, vir stultus, in tonsione ovium negavit exennia David, cujus comminationis timore mortuus est. Si ergo temporalium tonsores ovium, sic temporaliter puniti sunt, quanto magis spiritualium tonsores ovium, vel potius excoriatores, æternas ubi spiritus simul et corpora cruciabantur pœnas timere possunt.

Sicut quendam episcopum novi qui presbyterum quem exploraverat porcis abundare, super decem porcis pinguibus coquinæ suæ dandis convenit. Quo respondente se nimis inde gravandum fore, et quia hoc facere non poterat, dixit episcopus: "Nunc dabis xx." At ille iterum negando misericordiam petiit. Cui episcopus: "Nunc dabis xxx." Presbyter autem putans ab episcopo hæc ludicro dicta, dixit: "Bonum est mihi quod porci mei materiam ludendi "domino meo dedere." Episcopus autem e contra: "Seriam esse rem, et non ludicram, quam tecum gerimus, "prius quam a me discedas proculdubio comperies; et "nunc dabis xl." Subjecit quoque cum juramento quod quotiens negaret, semper ei x. accrescerent, tanquam verbo utens pueri filiorum Heli ad immolantem dicentis: "Ne- "quaquam, nunc autem dabis, alioquin tollam vi." Presbyter autem his auditis, quosdam qui præsentes tunc aderant artius super hoc consulens, nullumque contra episcopum consilium inveniens, xl. porcos pingues et electos juxta verbum episcopi, quod mutari non potuit, et quod utinam in bonis tam stabile fuisset, integre persolvit. Si culpam presbyteri, si crimen quæris, nihil aliud in causa tantæ punitionis et damnationis, nihil aliud in causa tantæ punitionis et damnationis erat, nisi quod porcos pingues habebat.

Unde episcopum eundem hæc aliquotiens in Anglia, magnis viris et discretis, et factum in secreto non approbantibus, inter epulas et pocula, tanquam re bene gesta recitantem audivi. Erat enim Anglicana plantatio Walliæ, nec naturaliter, nec adoptive, sed violenter inserta. Ideoque in episcopali officio, nec gratiæ divinæ, prout videbatur, rigationem habuit, nec divinitus ad profectum incrementa suscepit. Tales vidimus omnes ab Anglia nostris diebus in Walliam transpositos, cupidos, rapaces, summam tamen semper inopiam simulantes, per abbatias in Anglia jugiter mendicantes apud scaccarium, semper

per translationem vel adjectionem majora quæritantes, et ob hunc ambitum effectui mancipandum, scurrarum officium inter Angliam et Walliam, posthabito pastorali penitus officio, sibi assumentes, et curiis ad hoc se frequenter, immo fere semper, ingerentes. Propter quæ tota eorum, si qua fuerat, et ecclesiæ suæ apud viros magnos, probos, et discretos, vilescit auctoritas. Cum tamen si morem patriæ gererent, modumque et modestiam servare vellent, suæ se modicitati conformantes, et ad aliena vel ampliora non anhelantes, satis proculdubio dapis haberent, minusque laboris et plus honoris, meritique majoris apud Dominum essent, et apud homines notæ minoris.

Sed verum est illud poetæ :[1]

"Serviet æternum qui parvo nesciet uti."

Et illud in legenda beati Martini : "Cui pauca non "sufficiunt, nec plura proderunt."

Item ad hoc etiam facit exemplum de presbytero, quem conveniens episcopus suus, sive de Wallia fuerit seu aliunde, licet enim undecumque proficere et concordantias inducere, imposuit ei quasi criminosum aliquod et cum admiratione magna, quod Catholicus erat, dicens : "Quid est quod de vobis audio rem talem, Catholicus "enim, ut dicitur, de novo factus es." Negavit ille cum juramento. Episcopus autem, adhibitis ad hoc testibus, presbyterum, quia locuples erat, in grandem pecuniam condemnavit.

Item exemplum de sacerdote, qui accedens ad episcopum suum, dixit ei Latine : "Domine, mittam tibi ducentas "oves;" de ovis tamen intelligens non de ovibus. Cui episcopus gratias tulit. Cum autem in crastino ova ducenta mitterenter, ea quidem non recusavit episcopus,

[1] *poetæ*] Hor. i. Epist. x. 41.

sed precise mandavit quod ducentas oves ei promissas quam citius mitteret. Presbyter autem frustra allegans quod de ovis dixisset, ducentas oves, non villosas, non viles, sed crispas potius et electas, licet invitus, perquisivit et oves pro ovis, immo potius oves cum ovis lupo dedit. Sic igitur de pastoribus lupi effecti, oves episcopi devorant; magis in culpa quod illiteratos ordinant quam qui ordinibus tales se ingerunt existentes. Sed forsan ex industria hoc faciunt, ut miseros cum voluerint et indefensos sub hujuscemodi strophis excorient. Utinam autem cum apostolo potius dicere possent: "Non quæro quæ "vestra sunt, sed vos." Super quod Ambrosius epistola ad Corinthios secunda: "Non enim quæro quæ vestra sunt, "scilicet divitias in auro et argento vel possessiones, sed quæro salvare vos."

Chapter XXXV.

Examples of Gross Errors which spring from the Ignorance or Illiteracy of Priests.

Qualiter autem evangelia sacramque scripturam hodie presbyteri parochianis suis exponant per exempla quædam ostendemus. Exemplum de presbytero, qui, sermonem faciens ad populum de sancto Barnaba, inter cætera, dixit: "Bonus vir erat et sanctus, sed tamen latro fuerat," auctoritatem sumens de evangelio hoc, scilicet, "erat autem "Barrabas latro;" inter Barnabam et Barraban male distinguens. Item exemplum de sacerdote, qui, sermonem faciens de muliere Cananea, dixit eam partim canem sese, partim mulierem, inter Cananeam et caninam non bene distinguens.

Item exemplum de presbytero, qui, festum Simonis et

Judæ denuntians, dixit: "Alterum bonum virum et "sanctum fuisse, alterum vero proditorum Christi, nec ei "honorem aliquem vel diei, propter ipsum, sed propter "socium ejus deferendum." Hic etiam æquivocatione deceptus, inter Judam et Judam male distinxit.

Item exemplum de presbytero, qui sermonem faciens de evangelio ubi legitur: "De pisce asso et favo mellis;" dicebat enim quod comedit Dominus de pisce asinino et fabis melitis; et cum quæreretur ab eo quisnam piscis erat ille, respondit, quod sicut est piscis marinus qui a cane, et alius qui a lepore denominatur, quia fere singulis terrarum bestiis pisces in mari assimulantur, sic et ab asino quoddam piscis genus denominatur, sed in partibus istis non reperitur.

Item exemplum de illo qui loquens de manifestatione facta ad mare Tiberiadis, illud quod ibi legitur, "Viderunt "prunas positas," exposuit, de fructu arboris quæ prunus vocatur.

Item exemplum de illo qui, clerico suo quærenti quid esset *altera* respondit quia piscis erat regius in partibus illis, quod et probavit per illud: "Mittite in dexteram "navigii rete et invenietis altera."

Item exemplum de presbytero, qui, sermonem faciens de illo evangelio, "Duo debitores erant," in quo legitur "alii "donavit quingenta, alii quinquaginta," etc., exposuit de eodem numero, scilicet quinquagenario; cui præpositus villæ ait, "Neutri ergo plusquam alteri donavit cum "utrique l. nec plura." Presbyter autem, se deprehensum sentiens, subintulit: "sed alii denarii Andegavenses erant, "alii vero sterlingi."

Item exemplum de presbytero, qui sermonem faciens de hoc evangelio, "Occidit Herodes omnes pueros a bimatu et "infra," sic exposuit, "ab una provincia in aliam provin-"ciam," *bimatum* unam provinciam construens et *infra* aliam.

Item exemplum de presbytero, qui, exponens illud de vita sancti cujusdam, "Omnem substantiam suam trifariam "divisit," *trifariam* exposuit Gallice, *tine de farine*, hoc est, vas farinæ.

Item exemplum de presbytero denuntiante bestiam (*sic*) sancti Johannis ante portam Latinam, et dicente: "Quo-"niam Johannes ille primo Latinam linguam in Angliam "portavit;" sic enim exposuit *ante*, id est, primo portam portavit, Latinam supple linguam.

Item exemplum de presbytero qui locum illum Evangelii: "Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus "his opus habet;" de pectoris herba exposuit in hunc modum: "Dicite quia Dominus habet herbam illam quæ "vocatur hisopus." . . .

Item exemplum de illo qui quæsivit a magistro Johanne Cornubiensi quis esset *busillis?* putabat enim proprium nomen regis vel alicujus magni viri fuisse. Interroganti autem magistro Johanni ubinam hoc, et in qua scriptura inveniretur, respondit quoniam in missali; et currens propter librum suum, ostendit ei in fine columnæ paginæ unius scriptum *in die*, in principio vero alterius columnæ *bus illis*, quod recte distinctum facit "in diebus illis." Quo viso, magister Johannes dixit ei: "Quoniam de divina "pagina hoc erat principium, videlicet evangelii, se velle in "crastino in publico scholæ suæ auditorio istud inquiri." Quo facto, cum sequutus esset omnium risus, ostendit magister, hinc occasionem sumens, exemplis variis quantum accidat in clero dedecus et scandalum ex ignorantiæ tenebris et illiteraturæ. . . .

Chapter XXXVI.

That you will find such Defects in the Higher Clergy likewise.

Non solum autem in minoribus sacerdotibus, sed etiam in majoribus, abbatibus scilicet, prioribus, magnis ecclesiarum decanis, episcopis, et archiepiscopis tales interdum defectus invenies. Audivi auribus meis quendam abbatem verba Domini ad mulierem Samaritanam sic recitantem: "Quin-"que viros habuisti, et qui nunc habes non est tuum vir." Et iterum cuidam clerico pauperi Hibernico eleemosynam petenti, sic respondentem audivi: "Ubi sunt vaccas tuas."

Item exemplum de archiepiscopo eodem sermonem suum sic inchoante: "Audite et intelligite, vos omnes qui estis "in isto sacro synodo;" sed quodam suorum submurmurante "*a, a,*" non impatiens correctionis subjunxit, "in ista sacra "synoda," et murmurante adhuc quodam "*o* et *a*," tertio repetiit, "in isto sacro synoda."

Item exemplum de eodem sedente apud Oxoniam pro tribunali, præsentibus scholaribus multis et jurisperitis, ac dicente quibusdam: "Vultis stare isto compromisso," qui etiam, quodam submurmurante "isti," reiteravit: "Vultis stari isti compromissi;" et murmure quodam subsecuto, quidam considentium, cui nomen Martinus, in hæc verba prorupit: "Quid murmuratis inter vos? "antiqua grammatica est:" omnium risu, quem antea conceperant sed ob personæ reverentiam suppresserant, tanquam verbi illius ludicri occasione, subjecto. . . .

Item exemplum de abbate Malmesburiensi Roberto, qui nostris diebus accusatus a monachis suis super illiteratura, et a judicibus a papa Alexandro III. delegatis, Bartholomeo scilicet Exoniensi et Rogero Wigorniensi, ex hoc probatus:

"Factus est repente de cœlo sonus," etc. Cum cætera Gallice interpretatus esset, veniens ad "repente," stetit et hæsitavit, tandem vero dixit: "Repente, *il se repenti.*" Quidam autem assessorum, scilicet Johannes Cumin, qui postmodum archiepiscopus Dublinensis in Hibernia factus est, abbatem quia non plane legibus potuit saltem exemplo juvare volens, retulit de quodam abbate, quem vidit in curia Romana coram Alexandro III. et cardinalibus super illiteratura similiter a monachis suis accusatum, et de canone missæ probatum hoc loco: "Vere dignum et justum "est, æquum et salutare," qui cum exposuisset "Vere dig- "num et justum est," "*Veraiment dignum et juste*," veniens ad æquum, dixit: "'Equum,' *ceo est cheval*, et 'salutare' *sail-* "*lavit.*" Et cum putarent multi eum deponendum, quia tamen bonus dispensator erat, et domui suæ bene præpositus, judicio summi pontificis obtinuit et abbas remansit. Similiter et iste quoniam bonus erat in rebus gerendis et gubernatione domus et exteriorum administratione, contra monachos obtinuit, priori autem et subpriori defectus ejus in spiritualibus injunctum est ut supplerent. . . .

Item exulante beato Thoma Cantuariensi missi sunt antistites Angliæ, qui magis eloquentes et literati reputabantur, ad summum pontificem Alexandrum III., qui tunc in Francorum regno fuerat, ad causam Anglorum regis fulciendam et archipræsulis infirmandam; qui cum ad hoc astarent et rationes fabricatas etiam et excogitatas allegarent, non fuit unus qui babarismum (*sic*) vel solœcismum in tanta audientia non incurreret. Quidam autem ex illis qui magis eloquens esse videbatur, in hunc modum allegabat: "Oportuit, oportebat, oportebatur, "oportuerunt hæc fieri," verborum impersonalium naturam male discernens. Cui papa: "Tace, frater, tace, quia nec "illa fieri oportuit, nec ista dici." Alius autem in hunc modum: "Clandestinam fugam arripuit," penultimam acuendo. Miraculo tamen hæc proculdubio sunt assi-

gnanda, quod in patrem coram patre contra conscientiam loquentes, tantam ultione divina coram tantis confusionem, vitio locutionis insueto, et verecundiæ ruborem, incurrere meruerunt. . . .

Chapter XXXVII.

How Ignorance of Letters is due to the Excessive Study of Secular Law and of Logic.

Notandum hic autem quod Radulphus Beluacensis, qui in literatura nostris diebus præcipuus erat, trimembrem facere consueverat clericorum distinctionem in hunc modum: "Clericorum alii pannosi, qui per pannos scilicet et partes, "ad apparentiam sibi scientias comparaverunt, magis "scilicet scioli videri quam esse cupientes, cujusmodi "multos novimus. Alii superseminati, qui et superficiales "dici possunt, qui, prætermissa literatura, poetarum scilicet "auctorum, philosophorum, et artium fundamento, statim "a Donato et Catone ad leges non solum humanas, sed "etiam divinas, se transferre præsumunt. In tertio vero "gradu sunt clerici a fundamento massati, in literatura "scilicet et artibus sufficienter instructi, et inde non saltim, "sed gradatim et sensim, ad scientias alias profecti pariter "et provecti." Et hos solos vere et nuncupative literatos esse dicebat. Episcopus autem ille, de quo nunc ultimo locuti sumus, inter superficiales numerari potuit, cujusmodi hodie multos novimus propter leges Justinianas, quæ literaturam, urgente cupiditatis et ambitionis incommodo, adeo in multis jam suffocarunt, quod magistrum Mainerium in auditorio scholæ suæ Parisius dicentem, et damna sui temporis plangentem, audivi, vaticinium illud Sibillæ vere nostris diebus esse completum, hoc scilicet: "Venient

"dies, et væ illis, quibus leges obliterabunt scientiam "literarum."

De talibus autem, quorum nimis est hodie magna caterva, erant quidam qui, ut adepto prius magisterii nomine, etsi non omine, saltum illum superficialem liberius facere possent, scripserunt in Anglia patribus suis sacerdotibus et antiquo more non superseminatis sed literatis. Unus in hunc modum: "Sciatis me nuper lecturum Parisius;" alter vero sic: "Sciatis me legendum in proxima Parisius." Primo vero sic rescriptum est a patre: "Quoniam adver- "bium præteriti temporis participio futuri minus gramma- "tice copulasti, volo ut adverbiorum naturam, priusquam "legas, addiscas." Alteri vero sic: "Quando audivi te "lecturum Parisius, fui missurus tibi x. marcas;" bis enim ei scripserat, et primum recte; "sed ex quo audivi te "legendum Parisius non fui mittendus nisi quinque."

Item exemplum de clerico, qui, reversus in Angliam a Francia, ubi eum pater suus sacerdos magnis sumptibus per quinquennium tenuerat, patri suo quærenti quidnam didicisset, et quantum in doctrina profecisset, respondit, "Quia multum." Sciebat enim probare, sicut aiebat, quod ubi quatuor erant ibi octo, et ubi sex ibi duodecim, et sic deinceps. Pater autem advertens eum logicis nugis et non literaturæ operam adhibuisse, ad prandium cum filio sedit, et in primo ferculo sex ova in disco sibi et filio deferri procuravit, statimque dixit: "Fili, probare scis per artem "tuam quod ubi sunt sex ibi sunt duodecim; hic autem "sunt sex ova, proba ergo quod hic sint duodecim." Ipse vero ova non in longum ordinans, sed terna super mensam per ordinem duplicans, uno ordine tria, quæ sex faciunt ostendit; item et alio ordine eadem tertia ostendit, quæ et sex faciunt, concludens inde duodecim esse. Pater autem nugas advertens, sex ova illa ad se traxit, dicens filio quia bene probaverat ibi ova duodecim esse, et quoniam alia sex quæ restabant sibi ad vescendum acciperet; et sic filium

tam facete delusum et vanis ac frivolis studuisse deprehensum Parisius, non ad reticulatas logicorum argutias, sed ad literaturam totis nisibus addiscendam iterato remisit.

Item accessit aliquando ad me in logica tunc temporis facultate, juvenilibus videlicet annis, magno Parisius cum ardore et laudis amore studentem, presbyter quidam vicinus hospitio meo senex annis et animo, qui et theologicis disciplinis animum applicabat, et scholas cotidie frequentabat. Hic me sæpius simpliciter et quasi ludicro in hunc modum convenire solebat; "Logica tua in qua tantum te "torques, quid tibi valebit, nisi socium habeas ad quem "disputes, quia dialectica disputatio ad alterum est, nec "sufficit ille si impeditor fuerit communis negotii. Oportet "ergo judicem adhibere, nec sufficiet unus si forte in partis "adversæ favorem declinaverit. Turbam ergo convocare "oportet et intelligentium ad hoc, ut ars tua utiliter "appareat. Ego vero, etsi solus in angulo sederem, libris "meis sæpius et lectioni datus, theologicæ disciplinæ "fructum elicere possum, vel meipsum ædificando, vel "qualiter alios ædificem addiscendo. Et si solus literatus "in turba laicorum magna constitutus fuero, possum eis "absque omni altercatione sermonem utilem de fide et "bonis moribus continua oratione contexere." Tunc ego verba sacerdotis, quasi pro frivolis habui, quæ tamen postea vera fuisse satis comperi et approbavi. Sicut enim instrumentum artis rhetoricæ oratio est, id est, causa, et artis dialecticæ instrumentum argumentatio, sic theologicæ instrumentum est prædicatio.

Notandum hic autem quod diale[c]ticæ abusus disciplinæ, dum non aperit claves, sed impedit potius et involvit, dumque moram nectit et allicit immoderate, literaturam non mediocriter enervat et suffocat. Apparentia namque quam ex sophistica contra hic garrulitate plerique gaudentes, longeque videri quam esse plus cupientes, exiles in scientiis, puerilibus solum ineptiis consenescunt. . . .

Chapter XXXVIII.

Of the Eminence of Ecclesiastical Rulers and their Perilous Position.

Quis autem gravius corruit quam qui neglectu officii vel arrogantiæ tumore et supercilio nutans, et ab alto titubans, se in inferni profunda detrudit? Propter hæc onera periculosissima dicebat beatus Martinus se longe mitioris meriti fuisse postquam episcopus fuit quam ante. Item quidam monachus, vir sanctissimus, electus in episcopum constantissime renuit, qui postmodum cuidam monasterii cujusdam monacho apparuit, dicens quod in beata requie Salvatoris adventum expectabat, si tamen episcopus fuisset, se requie qua tunc fruebatur et Dei visione cariturum fuisse in perpetuum, asserebat. Nihil igitur illud universis episcopis prædictis eorumque similibus, quorum hodie nimis numerosa caterva est, restare videtur nisi illud, "fortioribus fortior instat cruciatio;" et illud ejusdem, et ibidem, "potentes potenter tormenta "patientur." Quid ergo damandi (*sic*) sunt episcopi cuncti? Absit. Quid ergo Nicholaus, quid Martinus, quid Germanus, quid Basilius Magnus, et alii temporis illius multi? Quid etiam, ut propius exempla sumamus, Thomas noster Cantuariensis? Non dicimus episcopos non salvari, dicimus autem difficilius ipsos his diebus quam alios salvari. Da mihi hodie inter antistites Nicholai vel caritatem vel abstinentiam; da Basilii vel Germani cinerem et saccum, aquam et hordeum; da musitantem jugiter in sublime Martinum, cujus nunquam vel ori Deus vel oculis cœlum desit. Non illi inter regnum divisi et sacerdotium; puri quippe sacerdotes erant, non principales, non curiales, non

regales. Illi in ecclesiis assidui; nostri in curiis fere continui. Illi cœlum meditantes solum cœli Domino militabant; nostri terrenis semper inhiantes, inter spem et metum anxii, dum timent et ambiunt, terrarum ex toto principibus obsequuntur. . . .

NOTES

P. 13, *Mainarpir.* Giraldus loved his birthplace with all his heart; in the *Itinerary* he writes: "As Dyfed is the fairest part of the land of Wales, as Pembroke is the chief and fairest part of Dyfed, and this spot, Manorbier, is the sweetest spot in Pembrokeshire, it follows that Manorbier is the sweetest spot in Wales" (*Itin. Kambr.*, R.S. vi. 93).

P. 15, *Parisius.* An indeclinable noun, here used as a locative.

P. 15, *trivium.* The Seven Liberal Arts comprised the *trivium* (Grammar, Logic, Rhetoric) and the *quadrivium* (Arithmetic, Geometry, Music, Astronomy).

P. 20, *trino intervallo.* In triples; at triple intervals.

P. 22, *in causis decretalibus.* Decretals were answers given by the Pope to questions formally submitted to him on points of doctrine and discipline: they are the source of much of the canon law.

P. 23, *Pentecostes.* The genitive of Pentecoste; the accusative is Pentecosten.

P. 28, *caput Jejunii.* Ash Wednesday.

P. 32, *Aberteini.* Should be Aberteiui (Aberteivi).

P. 40, *Strata Florida.* Ystrad Fflur, a Cistercian Abbey founded by Rhys ap Gruffyd; it became the greatest and most influential of Welsh abbeys, and was the burial-place of the princes of the South; near the eastern boundary of Cardigan.

P. 46, *Antisiodorensem.* Should be Autisiodorensem.

P. 48, *Swete lamman dhin are.* "Sweet Heart, have pity!" This story is mentioned by Professor Ker in his English Literature, Medieval, pp. 82-3.

P. 50, *scurrarum officium.* Brewer translates thus: "They have played the office of buffoon between England and Wales," but suggests that Giraldus may mean "scout."

P. 53, *bestiam* should obviously be *festum.*

P. 55, *babarismum.* Should be *barbarismum.*

P. 59, *damandi.* Should be *damnandi.*

GLOSSARY

abbas	abbot.
Aberteivi	Cardigan.
aequiparo	equal.
agiographus (*hagiographus*)	biographer of a saint; hagiographer.
Album Monasterium	Whitchurch.
Anagninus	of Anagni.
antistes	bishop.
archidiaconus	archdeacon.
archipraesul	archbishop.
Ardennia	Ardennes.
Atrebatum	Arras.
Augus	Eu.
Autisiodorensis	of Auxerre.
bajulo	carry.
Beluacensis	of Beauvais.
bimatus	age of two years.
Bononia	Bologna.
Brecheniauc	Brecknock.
camerarius	chamberlain.
cancellarius	chancellor.
Cantuaria, adj. *Cantuariensis*	Canterbury.
capitulum	chapter; heading.
causa	case; disputation; lecture.
causor	deliver a lecture.
cerevisia (*cervisia*)	beer.
ciphus	cup.
coaetaneus	contemporary.
cocleare	spoon.
contristo	sadden, grieve.
convicaneus	neighbour.
corrigia	girdle.
curialis	courtier.
curialitas	courtesy.
delinio (*delenio*)	charm, captivate.
Demetia	Dyfed (modern Pembrokeshire with part of Carmarthenshire).
Depa	Dieppe.
depilator	despoiler.
discus	dish; table.
dispensator	steward.
distinctio, dim. *distinctiuncula*	section, division.
Dovoria	Dover.
elemosyna	alms.
Elevein	Elvael (now part of Radnorshire).
eremita	hermit.
excoriator	flayer.
exennium	present.
Exoniensis	of Exeter.
feria	day of the week.
ferrandus	iron-grey.
Gisortium	Gisors.
Henonia	Hainault.
hospitalaris (*hospitalarius*)	Hospitaller.
illiteratura	illiteracy.
impeditor	hinderer.
impropero	abuse, revile.
indemnis	unharmed.
interminatio	pain, penalty.
Jerosolimitanus	of Jerusalem.
joculator	minstrel, gleeman.
jugiter	continually.

Landeov	Landeu.
Lanelum, adj. *Lanelvensis*	St. Asaph (formerly Llanelwy).
latero	skirt.
logicus	logician.
Mainarpir	Manorbier.
massatus	broken, so trained or disciplined.
medo	mead.
Meilenith	Melenydd.
Menevia, adj. *Menevensis*	St. David's.
metrice	in verse.
missa	mass.
missale	missal.
moretum	mulberry-juice.
Moritania	Mortain.
nuncupatio	name.
nuncupative	by name.
nundinae	fair.
Oswaldestrue	Oswestry.
pannus	part, fragment.
pannosus	partial, incomplete.
parochia	parish.
parochianus	parishioner.
particeps (*ecclesiæ*)	incumbent.
Pentecoste	Whit Sunday.
pernocto	spend the night.
persona (*ecclesiæ*)	parson.
Pictavia, adj. *Pictavensis*	Poitou
pigmentum	spiced drink.
portatilis	portable.
Powisensis	of Powys.
prædicator	preacher.
præludium	game, sport.
præsagus	prophetic.
presbyterium	presbytery (part of the church reserved for the priests).
prosaice	in prose.
prosapia	descent, lineage.
Quadragesima, adj., *quadragesimalis*	Lent.
quintana	quintain.
Radulphus	Ralph.
refectoria (or *refractoria*)	a song with a refrain.
refricatio	renewing power.
regiro	turn back.
Remensis	of Rheims.
repatrio	return to one's country.
Resus	Rhys.
reticulatus	net-like ; catchy.
rigatio	watering.
Roffensis	of Rochester.
Rothomagensis	of Rouen.
sabbatum	Saturday.
Sabrina	Severn.
sabulum	earth, sand.
saginarius	pack-horse.
Sanctus Audomarus	St. Omer.
Sanctus Walericus	St. Valéry.
satago	be bent on.
scaccarium	exchequer.
septimana	week.
sericum	silk garment.
sero	close.
sicera	intoxicating drink.
Solopusburia (*Salopesburia*)	Shrewsbury.
strata	road, highway.
suggillatio	shame, reproach.
superciliosus	haughty.
superpellicium	surplice.
superseminatus	shallow, superficial.
synodus	synod.
Toletanus	of Toledo.
transfreto	cross.
trussellum	bundle.
Tyrensis	of Tyre.

uterinus (*frater*) brother on the mother's side.

Vaga Wye.

Venedocia (*Venedotia*) Gwynedd (North Wales).

Verzellensis of Vercellæ (Vercelli).

vespilio night-robber.

villosus coarse-fleeced.

Walensicus Welsh.

Walensis Welshman.

Warthrenniaun Gwrthrynion.

werra (*gwerra*, *guerra*) war.

Wigorniensis of Worcester.

Wintonia, *Wintoniensis* adj. Winchester.

BILLING AND SONS, LTD., PRINTERS, GUILDFORD, ENGLAND



GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall

DATE DUE

TEXTS FOR STUDENTS.

GENERAL EDITORS: CAROLINE A. J. SKEEL, D.Lit.
H. J. WHITE, D.D.; J. P. WHITNEY, B.D., D.C.L.

No. 1. SELECT PASSAGES FROM JOSEPHUS, TACITUS, SUETONIUS, DIO CASSIUS, Illustrative of Christianity in the First Century. Arranged by H. J. WHITE, D.D. 3d. net.

No. 2. SELECTIONS FROM MATTHEW PARIS.

Arranged by C. A. J. SKEEL, D.Lit. 9d. net.

No. 3. SELECTIONS FROM GIRALDUS CAMBRENSIS.

Arranged by C. A. J. SKEEL, D.Lit. 9d. net.

LONDON
SOCIETY FOR PROMOTING CHRISTIAN KNOWLEDGE